

ORNATISSIMO, VIGILANTISSIMO, SPECTATOQUE VIRO, DOMINO JOHANNI COVTEREELI.

Benevolentiae ergo. Iohan. Barra D. D.

Haud bella Martis horrida
Videbis hac imagine:
Cupidinis nec, candide
Lector, tuo nunc lumine
Technas, vel almae Cypria
Flammas, iocossi, ludicros:
Ast tela mortis invide.
Christe redemptor omnium,
Fave canenti spicula
Leibi, daturi transitum
Ex hac labori obnoxia
Vita, ad quietem candidam.
Quis seculo mortalium
Hoc perdit, producere
Optet suam cum pessimis
Vitam brevem diutius?
Vbi refrixit charitas,
Terris in omnibus latens
Discordia, hinc periculum
Adfert pjs: hinc surripis



Blandam quietem, tollit, &
Necat: ferox crudelitas
Commota vastat, obruit
Urbes, & omnes incolae.
Matres sua orba pignora
Flent, & viros miserrime
In cede victos vulnerare.
Prædo nefandus irrumpit,
Et sevit in terris eheu:
Frangit, rapit, nil parcitur.
Pirata seque equora
Vndosa vastat navibus.
Nunc mundinator cessat, &
Nil efficit cum copiis.
Hinc seva paupertas facit
Artes viros extundere:
Quibus sibi victum & suis
Querant, ne fame stygios
Lacus petant, & inferos.

OMNIBVS CALCANDA VIA LETHI.

Hæc animo si quis volvat, servetq; tenaci;
Quis cupiat vitam longius exigere?
Et fac velle: tamen, nulli protendere fila
Fas est, quæ Lachesis forfice sævâ secat.
Nō Parcas homines, nō cæli numina flectū t:
Lanigeræ rigido stant adamante magis.
Est his à Superis concessa potentia tanta,
Vt sternant sæva cuncta creata manu.
Infantes rapiunt teneros discrimine nullo;
Tartareum Iuvenes cogit adire Lacum.

Et vastis Reges populis, regnisq; superbos;
Et pariter doctos ad sua busta trahit.
Divitiæ Cræsum nequeunt defendere structæ:
Hæctora non robur, nō Ithacum ingenium.
Pulchrior aut Paphiâ dum sperat vivere longè,
Atropos absolvit mox sua pensa colo.
Quid Dites, Doctos tandē memorasse iuvabit?
Atropos hîc gaudet sæva colo vacuâ.
Denique mors manet hos omnes, omnesq; vocamur;
Quos rehet ad stygias cimba Charontis aquas.

MIDDELBURGI,

Excudebat Richardus Schilders, Zelandiæ
Ordinum Typographus. 1604.

